

Panis Evangelici Fragmenta Qvadragesimalia Tripartita


Ex sanctissimo Dei Verbo copiosé & sedulo collecta, Sanctorum Patrum,
variorumque Auctorum sententiis & conceptibus mirificè aucta; Et
Omnibus Quidem Anni Dominicis; præcipuè tamen singulis Quadragesimæ
Dominicis & Feriis per binas ad minus, sæpius denas aut septenas
Conciones fideli Populo ...

**Lingendes, Claude de
Coloniae Agrippinae, 1689**

Typographvs Lectori Benevolo.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56333](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-56333)



TYPOGRAPHVS
LECTORI BENEVOLO.

XHIBEO tibi (LECTOR BENEVOLE) diu exp etitas
R. P. C. DE LINGENDES è Societate IESU Conclaves
in Quadragesimam: Spectator fuit ille apud univer-
sos, quam ut ad ejus commendationem præfari
quidquam necesse sit. Insidet adhuc vigetque in omnium men-
tibus memoria & species hominis, quem ambierunt tempa, è sa-
cro suggestu dictorum frequentarunt cœtus celeberrimi, hone-
stissimique, Lutetia, totaque adeo propemodum Gallia suspexit.
Requirendum ex ipso fuisse unum duntaxat mihi videtur, ut
ante obitum voluisse fœtus suos per otium recognoscere, non
conformandos quidem melius, cùm prout tūm erant, summam
ab omnibus approbationem laudemque obtinuerint, at iis in-
spergendos facibus, quæ ab pronuntiantis ore ac zelo permire
in auditorum animos incendia vibrabant. Quod præstare illum
seu religiosa meritis demissio, seu præmatura mors non sivit, id
modo nos pro nostro in tuum commodum studio supplemus.
Et quales manu suâ conscriptos Sermones seposuerat, edimus in
lucem, iisdem plane verbis, quibus latinè illos expressit Ut indi-
dem intelligas eum (ut plerisque usu-venit) non locutionis ver-
naculæ flosculos, non futile acuminum argutias, non ratiunculæ
perlevis fucum, non ostentationem ingenii, ac ambitionem va-

LECTORI BENEVOLO:

nitatis, non aurium lenocinia & oblectationem sectatum fuisse, sed id spectasse unum, ut Christianè diceret ac fructuosè, ut mentes informaret veritatis notitiâ, ut ingenia convinceret validis ratiocinationibus, ut vegetis motibus affectibusq; voluntates auditorum accenderet. Quo in genere dicendi, præeuadique exemplo, quantum ipse per Dei gratiam perfecerit, testificandum uniuscujusque, à quo nonnunquam auditus studiosè fuerit, fidei & conscientiæ relinquo. Te verò, Mⁱ LECTOR, ita æquum fore judicem arbitror, ut Coneionatoris tam egregii meritum, non ab hisce tantum Sermonibus, tametsi eximiis æstimes, ac definias; siquidem, deficiuntur vitâ & spiritu, quem ipsis animus authoris & ingenium, iuncta conformatio vultus & corporis, moderatio venusta gestuum, dicendi ardor ac zelus afflabant: fore nihilominus confido, ut legendis illis meditandisque, ub erem quam tibi expeto fructus segetem, & quantocunque pretio mercandum animæ tuæ lucrum colligas, VALE.



AP-